

dentis partes qualiū semidiameter eclipticę c f h, octauę sphæ-
 ræ subiicitur 1000000. At eisdem partibus 1354274. per eas-
 dem rectorū sinuū tabulas competunt gradus vii, minuta pri-
 ma xlvii, secunda x, igitur f h, segmentū eclipticę octauę sphæ-
 ræ existit gra, vii, primorū minorū xlvii, secundorum x. Et quā-
 tanta quoq; equatio motus octauę sphære in Alfonsi tabulis
 equationū iuxta gradus lx, motus accessus & recessus scribitur
 ergo id maximū est argumentū quod equationes octauę sphæ-
 rę quas suis Alfonsus tabulis inseruerat, segmenta sint eclip-
 ticę octauę sphære & neutiquā eclipticę nonę sphære, vti Geor-
 gius Peurbachius suis inseruerat theoricis, cuius mentione se-
 gmentū a b, eclipticę nonę sphære esset equatio octauę sphære,
 sed non est ita. Nam segmentū a b, maius est f h, segmento. Est
 enim per secundum librū quem scripsi de sphericis triangulis,
 velut rectus sinus ipsius a d, segmenti ad rectum sinū d h, seg-
 menti, ita sinus rectus ipsius a b, segmenti ad rectum sinum se-
 gmenti f h, igitur a b, segmentum maius est ipso f h, segmento.
 Iuxta eundem autē librum secundum de sphericis triangulis,
 sinus rectus segmenti a b, existit partium 1358926. igitur per ta-
 bulas rectorū sinuū predictas segmentū a b, erit graduum vii,
 primorū minorū xlviii, secundorū xxxvii, dabitur etiam a h,
 segmentum eorundem graduū iiii, m, xxix, s, x. Data itaq; sunt
 a b, & f h, segmenta. Igitur Georgius Peurbachius in suis the-
 oricis non rite definiuit equationē octauę sphære iuxta Alfonsi
 opinionem arcum esse eclipticę nonę sphære. Idem deniq; &
 eodem modo demonstrabimus parui circuli segmento f h, quā-
 tocumq; dato. ¶ Corollarium.

Ex iam ostensis liquet æquationē octauę sphære iuxta Al-
 fonsi opinionem, esse segmentum eclipticę octauę sphære du-
 obus magnis comprehensum orbibus, per polos eclipticę non-
 næ sphære meantibus quorum alter per caput arietis eclipticę
 nonæ, alter per caput arietis eclipticę sphære octauę scribitur.

De octauę sphære motu finis
 libri secundi.